

Jam subsumimus: Sed Apostolus D. Joh. etiam hoc in loco Phra-
sin istam *ab initio* absolute posuit, significat E. vel initium mundi vel
æternitatem, non illud; E. hoc. Quamvis phrasin ista hoc in loco
& commodè explicari, & intelligi possit de initio mundi; interim
tamen totum prædicatum cum verbo subst. *Erat*. Quod erat ab ini-
tio de æternitate explicari potest, explicante sic ipso Joh. c. 1. *in prin-
cipio erat verbum*, ubi non simpliciter dicit in principio est, sed erat
verbum; quod perfectum notat verbum; istud vel ante mundum
conditum, vel cum initio mundi una extitisse, & sic tamen ini-
tium mundi præcessisse. Ideò possumus quidem illam phrasin h. l.
explicare per initium mundi, rectius tamen si unâ sumatur ver-
bum subst. *Erat* explicatur per æternitatem; ut *verbum erat ab
initio* i. e. verbum est æternum. Quæ explicatio valet ad retun-
dendos Photinianos.

Instant Photin. contra hanc Explicationem ita: Quicumque est
visus & auditus ab Apostolis & manibus illorum contrectatus, is
non est verus Deus. At Christus est visus & auditus ab Apostolis &c.
E. *Majorem* sic probant: Quia verus Deus est invisibilis & nullis
sensibus obnoxius. Simile est & hoc Photinianorum Argumentum:
Quicumque vere mortuus est, is non est verus Deus; At Christus
&c. Resp. Utriusque argumenti eandem esse resolutionem, & *Ma-
jorem* egere limitatione: Quicumque est visus, auditus & manibus
Apostolorum contrectatus, is non est verus Deus sc. ratione istius,
juxta quod visus auditus & manibus contrectatus est; At jam Chri-
stus visus, auditus & manibus contrectatus est; sc. secundum seu ju-
xta humanam naturam. E. Christus ratione illius sc. Humanitatis,
juxta quam visus, auditus, & contrectatus est, non est verus Deus.
Ita & solvitur *argumentum alterum*: Quicumque vere mortuus est,
is non est verus Deus, sc. ratione istius nimirum Humanitatis, juxta
quam mortuus est. At Christus. E. Alii verò respondent distinguendo
inter subjectum *Quod* & *Quo*. Si Major intelligatur de subjecto *Quod*,
tunc negatur; quia eadem persona, quæ visa, audita, manibus con-
trectata & mortua est, & unus Deus & verus homo est, quia perso-
na ista *ὁ υἱος* est, & ex duabus naturis, Divina sc & humana, con-
stat. Si autem major propositio intelligatur de subjecto. *Quo*, tunc
vera est, sc. per *Reduplicationem*, quatenus nempe persona ista visa,
audita